

1582 *anchoris ingentem banc navem niti . Præsunt huic Collegio Princeps , quo totius Reipublicæ majestas repræsentatur , atque una sex Consilarii , Decemviri ; Quindecim Adscripti una cum iis suffragia ineunt ; majoris medii-que ordinis Præconsultores a Senatu lecti intersunt : Triumviri Advocatores , quibus legum custodia concredita est , adstant . Quid ambigimus ? Quid hæsitamus ( faceßat hinc omnis suspicio ) non omnia ex supremi hujus consilii sententia eventura ? Ita regiminis formam a majoribus constitutam retinebitis ; malis , quæ humanæ naturæ vitio nonnunquam illabuntur , obviam ibitis ; ingentis hujusce corporis membra mirabili quodam nexu inter se conjuncta servabitis ; non , uti suadere Gradonicus studet , corrumpetis , exuretis , præcidetis : qui sane , si pacato ac quieto animo sese ad gravissimum hoc negotium examinandum contulerit , minime vereor , ne legem latam ultro suo quoque suffragio amplexetur , quam vos , præstantissimi cives , communi consensu , communi suffragio probaturos mihi certo suadeo ac polliceor .*

Magno fere omnium applausu Baduarii oratio est excepta , optimis certissimisque rationibus legem corroboratam fuisse iis præsertim opinantibus , qui maturitate diuturnoque rerum usu in Republica præstarent . Verum occumbente sole , cum lege , ne in comitia lumina inferrentur , caveretur , aliisque suggestum conscendere volentibus , rejecta in alium diem res est . Variis interim sermonibus de iis , quæ dicta fuerant , passim disceptatum ; denuoque discrepantibus sententiis iisdem in comitiis per aliquot dies agitata res est . Inter ceteros ingenti omnium expectatione Federicus Baduarius , magnæ existimationis civis , qui insignes magistratus nactus , legatione multis ante annis apud Carolum V. Imperatorem functus , privatam vitam tunc agebat , est auditus : multa de priscorum prudentia , de Reipublicæ constitutione , de majorum comitiorum , Decemvirum , Senatusque auctoritate perlocutus : *Leges condere , magistratus deferre , concilii ex universa nobilitate coacti præcipua munera esse : ad Decemviros in publicæ quietis perturbatores , seditiosos , gravibusque noxis*  
*coin-*